



IV, 72⁸ Q.



27
29

ERNESTO

GOTHANORUM ET ALTENBURGENSIUM

DUCI SERENISSIMO

VIRTUTIS

AESTIMATORI MUNIFICENTISSIMO

A. D. XXVI. NOV.

EA, QUA DECET, VERECUNDIA

OBTULIT

FRID. GUIL. DOERING.

GOTHAЕ, MDCCXCVIII.



ERNESTO

GOTHANORUM ET ALTBURGENSIS

ACADEMIAE

VIENNAE

1834

ACADEMIAE VIENNAE

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



ELEGIA.

Salve, fausta mihi, lux o faustissima salve,

Hac mihi non vnquam faustior vlla redit.

Hac didici dubio jucundae munere vitae

Bis nunc, quam mihi bis fata dedere, frui.

Hac etenim in vasto rapidarum gurgite aquarum

Jam peritura mihi reddita vita fuit.

Hac igitur, quoniam dulce est meminisse malorum,

Carmine, quae nobis imminuere, canam.

Eminentis eram, fido comitatus amico, *)

Exiguam curru nota per arva viam.

Dum vehimur, coelo demittitur imber, et alta

Decidit ex celsis nix resoluta jugis.

Implentur fossae, spumant, ceu flumina, rivi,

Cum venti reboat murmure murmur aquae.

Dum fragor et sonitus nostras circumtonat aures,

Cernere nec loca, quae sint superanda, licet:

Ecce levem currum flectit moderator equorum

In rivi tumidas heu! male sanus aquas.

Rivus is exiguus, **) qui paucis nomine notus

Cum jucunda alias garrulitate salit;

Quem transire solet sicco pede saepe viator,

Cum gravis herbosus incubat aestus agris;

Impete nunc magno pluvialibus imbribus auctus

Fertur, et horrifono turbidus amne ruit.

*) Amico — Rosio, juvenis de Dziembowski, Polono-Borussii,
magna cum laude in Gymnasio nostro litteris vacantis, moderatore
Prudentissimo Doctissimoque.

**) Riv. is ex. — brachium parvi fluvii nostri Leinae.

Fluminis inVectum subito vis maxima currum

Corripit, et totum vortice paene vorat.

Fluctibus obruimur, pars eminent vltima currus,

Ast ea vix, miseri quo teneamur, habet.

Instantem nobis intentant omnia mortem,

Nec via vel dubiae jam patet vlla fugae.

Quisquis adest, tandem vocem nos rumpimus vna,

Quisquis adest, miseris ferte, precamur, opem!

Ferte precamur opem, rursus clamamus, et alte

Jactatis manibus signa subinde damus.

Verba sed vndarum cum magno mixta tumultu

Dissipat indomitus per loca sola Notus.

Forte tamen duo, qui vicina ad moenia tendunt,

Agnoscent oculis edita signa procul.

Accurrunt, trepidant, veniunt, sed vterque stuporis

Ore diu primum plenus hiante filet.

Tandem alter, ceu dira canens ex arbore cornix,

Desuper ex parvo haec tristia ponte canit:

Fluctibus ex istis, sine more furentibus, heu! vos

Tollere, dicenti credite, nemo potest.

Horridus attonito nunc pallor in ore sedebat,

Vltima cum vitae spes quoque raptata foret.

Nunc occurrebant animo dulcissima conjux,

Nunc ah! filiolae, pignora cara, duae.

Nunc ego dicebam, carum complexus amicum,

Singultu pectus concutiente meum:

Suavis amice vale, fueris si forte superstes,

Fac, precor, haec referas vltima verba meis!

In vita vixisse nihil mihi carius illis,

Carius hisque nihil post mea fata fore.

Dum tristi saevae perturbor imagine mortis,

Jam pede, jam lassae deficiente manu:

En procul e pago (quo nostra pericula celsae

Viderat ex turre culmine forte vigil, *)

Ocius ad ripas equitum peditumque catervam

Prospicimus cursum praecipitare suum.

*) Vigil — erat nempe dies solis, quo ex more prudenter recepto in pagis nostris vigiles collocari solent in turribus, ut inde, si quid forte in agris vel vicina regione accidat, diligenter observent.

Ferrea, pars secum, pars, stupea vincula portat,

Et, quiscunque opus est, quilibet arma tenet.

Cum nos abreptos jam paene voragine cernunt,

Non datur hic, clamant, en agite! vlla mora!

Protinus in rapidas juvenis generosior undas

Fervens intrepido pectore flectit equum.

Ipse at tanto animo nobis succurrere nixus

Heu correptus aquae vortice paene foret.

Mox alii varia obiciunt retinacula nobis,

Corpora quaeis sursum fluctibus acta trahant.

Quin certatim omnes jam tentant omnia, donec

Praesentem fugimus salvus uterque necem.

Carmine quis tandem valeat describere, (quamvis

Altior in docto spiritus ore sonet;)

Quales laetitiae recrearint pectora motus,

Cum sensu vitae plena fuere novae?

Quisve canat gratiae fervorem mentis in illos,

Qui nos heu! tantis eripere malis?

Vestrum est nempe, Boni, quod adhuc nos vivimus ambo,

Vestrum est, quod nondum nos dolet orba domus.

Non opis est nostrae, vobis persolvere grates,

Insigni vestra quas meruistis ope.

Gratia sed vivet nostris infixâ medullis,

Donec vitales carpet vterque dies.

Nomina vestra olim memorabunt saepe nepotes,

Cum vestra ossâ levis condita terra teget.

Nomina enim sistent magni monumenta *) favoris,

Quae Patriae vobis obtulit ipse Pater.

O laetam terram, tales quae nutrit alumnos,

Quorum tantus agit pectora laudis amor!

O faustam terram, qua tali pectore Princeps

Ornat et vsque suos more parentis amat!

*) Monum. — donavit nimirum bonis rusticis, quibus Deus saveat!

Hoerfelgaviensibus, pro insigni humanitatis ab iis edito exemplo,
magni pretii poculum argenteum Dux Noster Clementissimus.

Pon Th 2305

(1814, 2. Ex)

sind angebinden
Schriften

ULB Halle

3

000 654 965




TA-OL


Es fehlt nur noch das 20. Stück
Handschrift; alles andere schon
als Sammelbd. verknüpft

J. H. C.

W. H. P.

M. F.





24
29

ERNESTO
GOTHANORUM ET ALTENBURGENSIUM
DUCI SERENISSIMO
VIRTUTIS
AESTIMATORI MUNIFICENTISSIMO

A. D. XXVI. NOV.

EA, QUA DECET, VERECUNDIA

OBTULIT

FRID. GUIL. DOERING.

GOTHAE, MDCCXCVIII.

